



## Approbatio Ordinarii.

**E**xeat pleno alveo, qui dixit, rigabo hortum plantationum mearum, verè fons sapientiæ, verbum Dei, à Patre, in Patre manens, genitum, opus omnino arduum redemptiōnis humani generis suscipiens, insuper & semetipsum in cibum & potum cœlestis vitæ hominibus præbens: Exeat FONS PATENS DOMUI DAVID, fons, ex quo hauritur, nec exhaustur, dans omnibus affluerenter in finem, quia fons reficiens, nunquam deficiens: Fons, cuius aquam qui de petra eduxit, de petra quoque melle saturavit eos; eos, tunc Israëlitas, nunc genuinos domūs Davidicæ inquilinos, per domum hanc adumbra-tos, quibus hic fons pretiosus semper extitit, & supra modum simul speciosus. apertiùs: prodeat, & typos publicos percurrentes, orbi literario accurrat, liber inscriptus: FONS PATENS DOMUI DAVID, sive CHRISTUS JESUS, in Augustissimo Altaris Sacramento usque ad consummationem sœculi in verâ Christi Ecclesiâ, tanquam domo Dei, perseverans, quem singulari studio ac labore per Conciones Dominicales totius anni, & aliquot Festivales, ex eodem fonte derivatas, exhibuit, & deduxit *Admodum Rev. & Eximius Dominus, Dn. ALBERTUS PREZ,* Ss. Theol. & Sac. Canonum Doct. Protonotarius Apostol. Imper. Ecclesiæ ad S. Bartholomæum Francofurti Can. Capitul. Scholasticus, & Parochus.

¤ (o) ¤

Lustravi à primis venis ad ultimum usque decursum librum sub typo fontis editum, & non tantum nihil inveni, quod à regulis & dogmatibus orthodoxæ fidei, aut morum honestate deflechteret, sed potius deprehendi illius usum verbi divini præconibus, aliisque Christi fidelibus quovis modo utilem ac salutarem futurum, quo magis magisque laudetur **CHRISTUS EUCHARISTICUS**, qui est **DEUS** laudandus, glorificandus, & superexaltandus in **sæcula**.

## SIGISMUNDUS BERINGER,

Ss. Theol. Doct. ejusdemque Sac. facultatis Assessor, Eminentissimi Archi-Episcopi, Principis Elect. Mog. Consiliarius Eccles. Ecclesiar. Colleg. ad S. Victor. & S. Crucem resp. Canon. Capit. & Plebanus, Capituli Rur. Olmensis Decanus, Parochus in Weissenau, Librorum Censor mppr.

Datum Francofurti  
7 April 1723.

Applau-